Præpositionum.

Super hæc omnia, id est, præter hæc omnia.
Super Priamo, id est, de Priamo.
Super arbore sidunt, id est, in arbore.

Tenus.

Tenus gaudet ablatiuo singulari, genitiuo plurali.
Pube tenuus. Crurum tenus.
Sed hæc uidentur ueluti composita, quemadmodū & illa. Hactenus. Eatenus. Quatenus.

Versus.

Postponitur & uersus suo casui. Romā uersus iter est.

Vsque.

Vsque raro sine altera præpositione reperitur, & significat temporis, aut loci magnitudinem.
Ad multam usque noctem. Ab extrema usque India.
Vsurpatur & aduerbialiter, pro sæpe siue cōtinēter

A. Ab. Abs.

A præponitur dictionibus incipientibus a consonante. A foro, a castris.
Ab incipientibus a uocali Ab omnibus. Nisi fiat liquidæ, aut I consonans. Adione Ab rege.
Abs incipientibus, a te. Abs te.

Præpositiones semper compositæ.

Sunt quæ non inueniantur extra compositionem.
Di, Dis, Re, Se, An, Con, Diduco, Dissipio, Refero Seiungo, Ambigo, Conuenio.
Con ex quibusdam neutris facit transitiua.
Comminxit lectum. Conspuit hominem.
Concacauit, Compluit. Conuomit maritum.

De constructione Interiectionum.

Deiicio.i. exalto iacio. Deamo.i.ualde amo.
Desipit.i. sapere,desiit. Deferbuit aetas.
Reclamat.i. cõtra clamat. Reperit.i. denuo pet
Retegit.i.quod tectum est aperit.

DE Constructione interiectionum.

O.

O exclamantis admittit uocatiuum,nominatiuum
& accusatiuum. O dii immortales
O uir fortis. O insignem impudentiam.
Subauditur frequenter,ut singularem impudentiam

Heu, proh. &c.

Heu pietas. Heu stirpem inuisam,
Proh Iuppiter,& proh deu, atque hominem fidem
Hei mihi.Vch tibi.Ah tibi.

Cedo.

Cedo,flagitantis exiberi accusatiuum habet.
Cedo manum. Cedo cenem.

Amabo, Obsecro &c.

Amabo, & obsecro blandientis,Sodes,& sultis ho
tantis uerba sunt,& in interiectionis naturam uers
quemadmodum & age.

FINIS.

Explicit Libellus de Constructione Octo par
tium orationis,Londini Impressus per Henricum
Pepuuel,in cemiterio diui Pauli. Anno a partu
uirgineo.M.D.XXXIX.



GVILI-
ELMI LILII GRAMMA
tici, & poetæ eximii, Paulinæ
ſcholæ olim moderatoris
De generibus nominum,
ac uerborum præte
ritis & Supinis.
Regulæ pueris apprime utiles.

Opus recognitum & adactum
cum Nominum, ac Verbo
rum interpretamentis.
An. M. D. XXXIX.

Alia Edit. Antwerpiæ 1533 8°

IN LAUDEM ROMANAE CATHEDRAE.

LAVS DOCTRINAE.

EST ornamentum rebus doctrina ſecundis.
Rebus in aduerſis, doctrina eſt portus & aura
Dulcis doctrinæ fructus, radicula amara eſt
Vt ualeat, quis non ſuccos potabit amaros:
Dicitur ars ideo, quo quiſque exerceat illam
Auxilio uitæ, ſeu laudi, letitiæue.
Philoſophus ſimilem uiuo canit eſſe peritum,
Defuncto ſimilis, qui cũque indoctus habetur.
Quippe ego doctrina malim cunctos ſuperare
Dixit Ariſtoteli Macedo, quam rebus opinis,
Culto agro nihil eſſe poteſt ornatius atque
Hubarius, tibi cura tui non deſit agelli.

IN LAVDEM BONI PRAECEPTORIS.

QVi natos generãt, laudandi quique parentes
Qui tamẽ erudiũt etiã magis uſq; probãdi
Si tibi ſit natus, doctori trade perito
Perdocet indoctus quæ dedoceantur oportet.
Diſcere fili artem nullam potes abſque magiſtro,
Ad præceptorem feſtino currito greſſu.
Doctorem ueluti ſanctum uenerare parentem.
Laudando ſemper, probris offendito nunquam,
Cum ſapiente means, ſapiens euadet amicus.
At qui doctori ſeſe committet inerti,
Stultorum ſimilis fiet ſapientibus hære.

☞ IOANNIS RITVISSI SCHOLAE PAVLINAE PRECEPTORIS primarii.

HEXASTICON.

APtum nominibus genus assignare Latinis
Si uariare simul uerba Latina cupis,
Hoc tibi præstabit doctus puer iste libellus
Rarus in hoc æuo quod dedit ante liber
Est breuis, est facilis, concinnus & utilis, & sunt
Lilio ab authore hæc qualicunque leges.

☞ Guilielmus Suerderus.

Restituit genti Romanæ signa Camillus,
Lilius at nostræ nulla minora tulit.
Ornauit patriam bello clarissimus ille,
Hic coluit studiis barbara regna suis.

☞ Richardi Vernami Carmen.

En paruo sumptu, paruoque uolumine prodit
Paruus non parua scriptus ab arte liber.
Hunc emat, & paruo sibi quilibet ære puellus
Comparet, & paruo tempore multa sciet.

☞ Guilielmus Emersonus.

Has studiose puer scriptas tu perlege normas.
Lilius en monstret quale Guilielmus opus,
Has legis & tractas magno Rituisse labore,
Exornans pubis ora diserta tuæ.

GVILIELMI LILII DE LATINORVM NOMINVM GENERIBVS.

REGVLAE GENERALES PROPRIORVM.

Propria, quæ maribus tribuuntur, masculа dicas,
Vt sunt diuorum, Mars, Bacchus, Apollo, Virorum.
Vt Cato, Virgilius, Fluuiorum, ut Tibris, Orontes.
Mẽsiũ ut October. uentorũ, ut Lybs, notus auster.

Propria fœmineum referentia nomina sexum,
Fœmineo generi tribuuntur, siue dearum
Sunt, ut Iuno, Venus. Mulierũ, ceu Anna, Philotis.
Vrbium, ut Elis, Opus. regionũ, ut Græcia, Persis.
Insulæ item nomen, ceu Creta, Britannia, Ciprus.

EXCEPTIO.

Excipienda tamen quædam sunt urbium, ut ista,
Masculа, Sulmo, Agragas, quædam neutralia, ut Argos,
Tibur, prænestе, & genus Anxur, quod dat utrũque

APPELLATIVORVM.

Appellatiua arborũ erunt muliebria, ut alnus,
Cupressus, cedrus, Mas spinus, mas oliaster.
Et sunt neutra siler, suber, thus, robor, acerque.

Sunt etiam uolucrū, ceu passer hirundo. Ferarum
Vt tigris, uulpes, & pilcum ut ostrea cetus,
Dicta epicœna, quibus uox ipsa, genus ferat aptū.

Attamen ex cunctis, quæ diximus ante notandum
Omne quod exit in um, seu Græcū, siue latinum,
Esse genus neutrum sic, inuariabile nomen.

REGVLAE SPECIALES APPELLATIVORVM.

SEd nunc de reliquis quæ appellatiua uocantur
Aut quæ sunt tāquā appellatiua, ordine dicam.
Nam genus his sēper dignoscitur ex genitiuo,
Infra ut monstrabit specialis regula triplex.

PRIMA REGVLA SPECIALIS.

NOmen non crescens gtō, ceu caro carnis,
Capra capræ, nubes nubis, genus est muliebre.

EXCEPTIO I.

Mascula nomina in a, dicuntur multa uirorum,
Vt scriba, assecla, papa, & rabula, lixa, lanista.
Mascula Græcorum quod declinatio prima.
Fundit in as, & in es, & ab illis quot per a fiunt.
Vt satrapas satrapa, athletes athleta leguntur.
Mascula item uerres, natalis, aqualis, ab asse
Nata, ut centussis, coniunge lienis, & orbis,
Callis, caulis, follis, collis, mensis, & ensis,
Fustis, funis, panis, penis, crinis, & ignis,

Caſsis, faſcis, torris, ſentis, piſcis, & unguis,
Et uermis, uectis, poſtis ſocietur, & axis.
Maſcula in er, ceu uenter, in os uel in us, ut
logos, annus.
Fœminii generis ſunt mater, humus, domus, aluus
Et colus, & quartæ pro fructu ficus, aculque.
Porticus atq; tribus, ſocrus, nurus, & manus, idus.
His iungas os in us uertentia Græca, papyrus,
Antidotus, coſtus, diphthongus, byſſus, abyſſus,
Criſtallus, ſynodus, ſaphyrus, heremus, & arctus.
Cum multis aliis, quæ nunc perſcribere longū eſt,

EXCEPTIO. II.

Neutrum nomen in e, ſi gignit is, ut mare, rete.
Et quod in on, uel in um ſunt, ut barbiton, ouum.
Eſt neutrum hippomanes genus, & neutrum ca-
coenthes.
Et uirus, pelagus, neutrū modo mas, modo uulgus.

EXCEPTIO. III.

Incerti generis ſunt talpa, & dama, canalis,
Alcyonis, finis, clunis, reſtis, penis, amnis.
Pampinus & corbis, linter, torquis, ſpecus, anguis
Pro fructu ficus fici dans, atque phaſelus,
Lecythus, ac atomus, groſſus, pharus & paradiſus

EXCEPTIO. IIII.

Compoſitū a uerbo dans a, cōmune duorum eſt.
Graiugena a gigno, agricola a colo, id aduena
monſtrat,
A uenio, adde ſenex, auriga, & uerna ſodalis
Vates, extorris, patruelis, perque duellis
Affinis, iuuenis, teſtis, ciuis, canis hoſtis.

SECVNDA REGVLA.
SPECIALIS.

NOmen crescentis penultima si genitiui
Sillaba acuta sonat, uelut hæc pietas pietatis
Virtus uirtutis mõstrant, genus est muliebre

EXCEPTIO. I.

Masculа dicuntur monosyllaba nomina quædam,
Sal, sol, ren & splen, car, ser, uir uas uadis, as, mas
Bes, cres, pres, & pes, glis gliris habens genitiuo,
Mos, flos, ros & tros, mus, dens, mons, pons, simul & fons.
Seps pro serpente, gryps. thrax, rex, grex gregis, & sphryx.
Masculа sunt etiam polysyllaba in n, ut Acarnan.
Lichen & delphin, & in o, signantia corpus.
Vt leo, gurgulio, sic senio, ternio, sermo.
Masculа in er, or & os, ceu crater, cõditor, heros
Sic torrens, nesrens, oriens, cum pluribus in dens.
Quale bidens, quando pro instrumẽto reperitur.
Adde gygas, elephas, athamas, garamasque, tapesque.
Atque lebes, cures, magnes, unumque meridi
Es nomen quintæ, & quæ componuntur ab asse.
Vt dodrans, semis, iungantur masculа samnis,
Hydrops, nicticorax, thorax, & masculа ueruex.
Phœnix & bõbix pro uermiculo. Attamen ex his
Sunt muliebre genus siren, mulier, soror uxor.

EXCEPTIO. II.

Neutra. Sunt neutralia, & hæc monosyllaba noia mel, fel, lac, far, uer, cor, æs, uas uasis, os ossis & oris.

Rus, thus, ius, crus, pus, & ī al polysyllaba, in arque
Vt capital, laquear. Neutrū halec & muliebre.

EXCEPTIO. III.

Sunt dubia hæc, phyton, scrobs, serpēs, bubo, ru- Dub
dens, grus
Perdix, linx, limax, stips pro trunco, pedis & calx,
Adde dies numero, mas tantum rite secundo.

EXCEPTIO. IIII.

Sunt commune parens, autor, infans, adolescens, Cō.
Dux, illex, hæres, exlex, a fronte creata,
Vt bifrons, custos, bos, fur, sus atque sacerdos.

TERTIA, & ultima regula specialis.

NOmen crescentis penultima si genitiui
Sit gravis ut sanguis gtō sanguinis est mas.

Exceptio prima.

Fœminei generis sit hyperdisyllabon in do. Fæ.
Quod dinis, atque in go, quod dat ginis in gtō.
Id tibi dulcedo faciens dulcedinis, Idque
Monstrat compago compaginis, adiice uirgo,
Grādo, fides, cōpes, teges, & leges, arbor, hyēsque
Sic baccar, lyndon, gorgon, icon, & amazon.
Græcula in as uel in is græca, ut sunt lāpas, iaspis,
Cassis, cuspis, in us, uox una pecus pecudis dans,
His forfex, pellex, carex, simul atque suppellex
Appendix, istrix, coxendix, adde filixque.

Exceptio secunda.

Est neutrale genus, signans rem non animatam, Neu.
Nomen in a ut problema, en ut omen, ar ut iubar,
ur dans

Vt fecur, us, ut onus, put, ut occiput. Attamẽ ex hi
Masculasunt pecten, furfur. Sunt neutra cadauer,
Verber, iter, suber, pro fungo, tuber, & huber.
Gingiber, & lacer, cicer, & piper, atque papauer,
Et siser, atque siler. Neutra æquor, mormor,
Atq; pecus, quãdo pecoris facit in gtõ. (adorq;

EXCEPTIO. III.

Sunt dubii generis cardo, margo, cinis, opex.
Puluis, adeps, forceps, pumex, ramex, anas, imbrex
Adde culex, natrix, & onix cum prole, silexque.
Quamuis hæc melius uult masculà dicier usus.

EXCEPTIO. IIII.

Communis generis sunt ista, uigil, pugil, exul,
Præsul, homo, nemo, martyr, ligur, augur, & archas.
Antistes, miles, pedes, interpres, comes, hospes,
Sic ales, præses, princeps, auceps, eques, obses,
Atque alia a uerbis, quæ noia multa creantur,
Vt coniunx, iudex, uindex, opitex, & aruspex.

REGVLA ADIECTIVORVM GENERALIS.

ADiectiua unam duntaxat habentia uocem,
Vt fœlix, audax, uoce est genus oẽ sub una.
Sub gemina si uoce cadãt, uelut ois, & oẽ.
Vox cõmune duũ prior est, uox altera neutrum.
At si tres uariant uoces, sacer ut sacra sacrum,
Vox prima est mas, altera fœmina, tertia neutrũ.
Sunt quæ deficiant genere adiectiua notanda,
De quibus, atque aliis, alibi tibi mentio fiet.

DE SIMPLICIVM VERBORVM PRAETERITIS, PRIMA CONIVGATIO.

AS in præsenti, perfectum format in aui,
Veno, nas, naui, uocito uocitas, uocitaui.
Deme lauo laui, iuuo, iuui, nexoque nexui,
Et seco quod secui, neco quod necui, mico uerbū.
Quod micui, plico, qđ plicui, frico qđ fricui dat.
Sic domo qđ domui, tono qđ tonui, sono uerbū,
Quod sonui, crepo crepui, ueto quod uetui dat.
Atque cubo cubui, Raro hæc formantur in aui.
Do das rite dedi, sto stas formare steti uult.

SECVNDA CONIVGATIO.

ES in præsenti perfectum format ui dans.
Ve nigreo nigres nigrui, iubeo excipe iussi.
Sorbeo sorbui, habet sorpsi, quoq; mulceo (mulsi
Luceo uult luxi, sedeo sedi, uideoque
Vult uidi, sed prandeo prandi, strideo stridi.
Quattuor his infra geminatur syllaba prima,
Pendeo nāque pependi, mordeo uultq; momordi,
Spōdeo habere spopondi, tōdeo uultque totondi,
Suadeo, suasi, rideo risi, habet ardeo, & arsi.
L uel r ante geo si stet, geo uertitur in si,
Vrgeo ut ursi, mulgeo, mulsi, dat quoque mulxi,
Frigeo frixi, lugeo luxi habet, augeo, & auxi.
Dat fleo fles fleui, leo les leui, indeque natum.
Deleo deleui, pleo, ples pleui, neo neui.
A maneo manси formatur, torqueo torsi.
Hæreo uult hæsi, ueo fit ui, ut terueo ferui.

Niueo & indefatum poſcit conniueo niui.
Et nixi, iunge his cieo ciui, uieoque uieui.

TERTIA CONIVGATIO.

TErtia præteritum formabit, ut hic manifeſtũ
Bo. Bo fit bi, ut lambõ lãbi, ſcribo excipe ſcripſi,
Et nubo nupſi, antiquũ cumbo cubui dat.
Co. Co fit ci, ut uinco uici, uult parco peperci
Et parſi, dico dixi, duco quoque duxi.
Do. Do fit di, ut mando mãdi, ſed ſcindo ſcidi dat.
Findo fidi, fundo fudi, tundo tutudique,
Pendo pependi, tendo tetendi, pedo pepedi.
Iunge cado cecidi, & pro uerbero cædo cecidi
Cedo pro diſcedere, ſiue locum dare ceſsi.
Cado, rado, ledo, ludo, diuido, trudo,
Claudo, plaudo, rodo, ex do ſemper faciunt ſi.
Go. Go fit xi, ut iungo iunxi, ſed r ante go uult ſi.
Vt ſpergo ſperſi, lego legi, & ago facit egi,
Dic tango tetigi, pungo punxi pupugique.
Dat frango fregi, cum ſignat pango paciſci,
Vult pepigi, pro iungo pegi, pro cano panxi.
Ho. Ho fit xi, traho ceu traxi docet, & ueho uexi.
Lo. Lo fit ui, colo ceu colui, pſallo excipe cum p.
Et ſallo ſine p, nam ſalli format utrunque.
Dat uello uelli, uulſi quoque, fallo fefelli.
Cello pro frango ceculi, pello pepulique.
Mo. Mo fit ui, uomõ ceu uomui, ſed emo facit emi.
Como petit cõpſi, promo prompſi, adiice demo,
Quod format dempſi, ſumo ſumpſi, premo preſsi
No. No fit ui, ſino ceu ſiui, temno excipe tempſi.

Dat ſterno ſtraui, ſperno ſpreui, lino leui.
Interdum liui, & lini, cerno quoque creui.
Gigno, pono, cano, genui, poſui, cecini dant.
Po fit pſi, ut ſcalpo ſcalpſi, rũpo excipe rupi. Po.
Et ſtrepo q; format ſtrepui, crepo q; crepui dat.
Quo fit qui, ut linquo liqui, coquo demito coxi Qno.
Ro fit ui, ſero ceu planto, & ſemino ſeui. Ro.
Quod ſerui melius dat, mutans ſignificatum.
Vult uerro uerri, & uerſi, uro uſsi, gero geſsi.
Quæro quæſiui, tero triui, curro cucurri.
So uelut accerſo, arceſſo, inceſſo, atque laceſſo So.
Formabit ſiui. Sed tolle capeſſo capeſsi.
Quodque capeſsiui facit, atque faceſſo faceſsi.
Sic uiſo uiſi, ſed pinſo pinſui habebit.
Sco fit ui, ut paſco paui, uult poſco popoſci. Sco.
Vult didici diſco, quexi formare quiniſco.
To fit ti, ut uerto uerti, ſed ſiſto notetur To.
Pro facio ſtare actiuum, nam iure ſtiti dat.
Sterto ſtertui habet, meto meſſui, ab ecto fit ixi. Ecto.
Vt flecto flexi, pecto dat pexui, habetque
Pexi. Etiam necto dat nexui, habet quoque nexi.
Dat mitto miſi, petii peto, ſiue petiui.
Vo fit ui, ut uoluo uolui, uiuo excipe uixi, Vo.
Nexo ut nexui habet, ſic texo texui habebit.

Fit cio ci, ut facio feci, iacio quoque ieci. Cio.
Antiquum lacio lexi, ſpecio quoque ſpexi.
Fit dio di, ut fodio fodi, Gio, ceu fugio gi. Dio. Gio.
Fit pio pi, ut capio cepi, cupio excipe piui. Pio.
Et rapio rapui, ſapio ſapui atque ſapiui.

Rio. Fit rio ri, ut patio peperi, tio ſſi geminans ſi.
Tio. Vt quatio, quaſſi, quod uix reperitur in uſu.
Vo. Denique uo fit ui, ut ſtatuo ſtatui, pluuo pluui
Format ſiue pluui, ſtruo ſed ſtruxi, fluo fluxi.

QVARTA CONIVGATIO.

QVarta dat is iui, mõſtrat ſcio ſcis tibi ſciui,
Excipias uenio, dans uenti, cambio campſi,
Raucio rauſi, farcio, farſi, ſarcio ſarſi.
Sepio ſepſi, ſentio ſenſi, fulcio fulſi.
Haurio item hauſi, ſancio ſanxi, uincio uinxi,
Pro ſalto ſalio ſalui, & amicio amicui dat.
Parcius utimur cambiui, hauriui, amiciui,
Sepiui, ſanciui, ſarciui, atque ſaliui.

DE COMPOSITORVM VERBORVM PRAETERITIS.

PRæteritũ dat idem ſimplex, & cõpoſitiuum,
Vt docui edocui mõſtrat, ſed ſyllaba ſemper,
Quã ſimplex geminat, cõpoſto nõ gemiatur
Præterq̃ tribus his, præcurro, excurro, repugno,
Atque a do diſco, ſtõ, poſco rite creatis,
A plico cõpoſitum, cum ſub, uel nomine, ut iſta,
Supplico, multiplico, gaudent formare plicaui.
Applico, cõplico, replico, & explico ui, uel in aui.
Quamuis uult oleo ſimplex olui, tamen inde
Quoduis compoſitum, melius formabit oleui.
Compoſita a pugno formabunt omnia punxi.
Vult unũ pupugi, interdumque repugno repunxi.
Natum a do, quando eſt inflexio tertia, ut addo

Credo, edo, dedo, reddo, perdo, abdo, uel obdo.
Condo, indo, traho, prodo, uendo, dedi, at unum
Abſcondo abſcondi, natum a ſto ſtas ſtiti habebit.

MVTANTIA PRIMAM VOCALEM IN E.

Verba hæc ſimplicia, præſentis præteritique,
Si componantur, uocalem primam in ẽ mutant.
Damno, lacto, ſacro, fallo, arceo, tracto, fatiſcor,
Farcio, carpo, patro, ſcando, ſpargo, parioque,
Cuius nata per i duo comperit, & reperit dant.
Cætera ied per ui, uelut hæc aperire, operire.
A paſco paui tantum. Compoſita notentur.
Hæc duo compeſco, diſpeſco peſcui habere.
Cætera, ut epaſco, ſeruabunt ſimplicis uſum.

MVTANTIA PRIMAM VOCALEM IN I.

Hæc habeo, lateo, ſalio, ſtatuo, cado, lædo,
Pango dans pegi, cano, quæro, cedo cecidi,
Tango, egeo, teneo, taceo, ſapio, rapioque,
Si componantur, uocalem primam in i mutant.
Vt rapio, rapui, eripio, eripui. A cano natum.
Præteritum per ui, ceu concino concinui dat.
Compoſita a pango retinent a quatuor iſta,
Depango, oppango, circumpango, atque repãgo.
A maneo manſi, mimui dant quatuor iſta,
Præmineo, emineo, cũ promineo, immineoque.
Simplicis at uerbi ſeruabunt cætera formam.

Compoſita a ſcalpo, calco, ſalto a per u mutant,
Id tibi demonſtrant, exculpo, inculco, reſulto.

Composita â claudo, quatio, lauo, reiiciunt â,
Id docet â claudo, occludo, excludo, â quatioqu
Percutio, excutio, a lauo, proluo, deluo nata.

Hæc si componas, ago, emo, sedeo, rego, frang
Et facio, iacio, lacio, specio, premo, semper
Vocalem primam præsentis in i sibi mutant,
Præteriti nunquam ceu frango, refringo refregi.
A facio infscio infeci, sed pauca notentur.
Nãque suũ simplex perago sequitur, satagoque,
Vtque ab ago, dego dat degi, cogo coegi.
A rego, sic pergo perrexi, uult quoque surgo
Surrexi, media præsenti syllaba adempta.

lego. A lego nata, re, se, per, sub, uel trans præeunte,
Præsentis seruant uocalem, in i cætera mutant,
De quibus hæc intelligo, diligo, negligo tantu
Præteritum lexi faciunt, reliqua omnia legi.

DE SIMPLICIVM VERBORVM SVPINIS.

Vnc ex præterito discas formare supiuũ.
Bi N Bi sibi tum sumit, sic nãque bibi bibitũ fit.
Ci Ci fit ctum, ut uici uictum, testatur & ici
Dans ictum, feci factum, ieci quoque iactum.
Di Di fit sum, ut uidi uisum, quædam geminant s,
Vt pandi passum, sedi sessum, adde scidi, quod
Dat scissum, atque fidi fissum, fodi quoque fossũ
Hic etiam aduertas, quod syllaba prima supinis,
Quam uult præteritũ geminari, nõ geminautu

Idque totondi dans tonſum, docet atque cæcidi
Quod caſum, & cecidi quod dat caſū atque tetēdi
Quod tenſū & tentū, tutudi tuſum, atquæ pepidi,
Quod format peditū adde dedi, qđ iure datū uult.
Gi fit ctū, ut legi lectum, pegi, pepigique. Gi.
Dat pactum, fregi fractum. tetigi quoque tactum.
Egi actum, pupugi punctū, fugi fugitum dat
Li fit lum, ut falli ſtans pro tale cōdito, ſalſum, Li.
Dat pepuli pulſum, ceculi culſum, atque tetelli
Fallum dat uello uulſum, & ſic tuli habet quoque latum.
Mi, ni, pi, qui, tum fiunt, uelut hic manifeſtum. Mi.
Emi emptum, ueni uentum, cecini à cano cantum. ni, pi.
A capio cepi dans captum, à cepio ceptum. Qui.
A rumpo rupi ruptum, liqui quoque lictum.
Ri fit ſum, ut uerri uerſum, peperi excipe partū. Ri.
Si fit ſum, ut uiſi uiſum, tamen ſi geminato. Si.
Miſi formabit miſſum, fulſi excipe tultum
Hauſi hauſtum, farſi fartū, farſi quoque fartum.
Vſſi quoque uſtum, geſſi geſtū, torſi duo tortum
Et torſum, indulſi indultū indulſumque requirit.
Pſi fit Ptū ſcripſi ſcriptū, cāpſi excipe campſū. Pſi.
Ti fit tum, a ſto nāque ſteti, a ſiſto ſiſti fit. Ti.
Præteritum cōmune ſtatū, uerti excipe uerſum.
Vi fit tum, flaui ut flatū, paui excipe paſtum. Vi.
Dat laui lotum, interdum lautum atque lauatum.
Potaui potum, interdum facit, & poratum.
Sed faui fautum, caui cautum, a ſerio ſeui.
Formes rite fatum, Leui linique litum dat.
Solui a ſoluo ſolutum, uolui a uoluo uolutum.

Vult ſingultiui, ſingultum, uæneo uænis
Væniui uænũ, ſepeliui rite ſepultum. qđ ui
Quod dat ui dat itũ, ut domui domitum, excip
Verbũ in uo, quia ſemper ui formabit in utum.
Fxui ut exutum. A ruo deme rui, ruitum dans.
Vult ſecui ſectum, necui nectum, fricuique
Fricũ, miſcui itẽ mixtũ, & amicui dat amictũ.
Torrui habet toſtum, docui doctum, tenuique
Tentum, conſilui conſultum, alui altũ, alitumq;
Sic ſalui ſaltum, colui, occolui, quoque cultum.
Pinſui habet piſtum, rapui raptum, ſeruique
A ſero uult ſertum, ſic texui habet quoq; textũ.
Hæc ſed ui mutant in ſum, nam cenſeo cenſum.
Cellui habet celſum, meto meſſui habet quoq;
meſſum.
Nexui item nexum, ſed pexui habet quoq; pexum.
Dat patui paſſum, carui caſſum caritumque.
Xi fit ctum, ut uinxi uinctũ, quinq; abiiciunt n.
Nam finxi fictum, minxi mictum, inq; ſupino.
Dat pinxi pictum, ſtrinxi, rinxi quoque rictum.

DE COMPOSITORVM VERBORVM SVPINIS.

COmpoſitum, ut ſimplex, formatur quodq;
ſupinum.
Quãuis non eadẽ ſtat ſemper ſyllaba utrique
Compoſitum a tunſum, dempta n, tuſum, a ruitũ fit
Dempta uocali media, rutum, a ſaltũ quoq; ſultum
A ſero, quãdo ſatum format cõpoſita ſitum dant.
His captum, iactum, raptum, a per ẽ mutant.

Et cantum, partum, carptum, quoque fartum.
Verbū edo cōpoſitum non eſtum, ſed facit eſum.
Vnum duntaxat comedo formabit utrumq;.
Noſco tantum duo, cognitū, & agnitum habētur.
Cætera dant notum, nullo eſt iam noſcitū in uſu.

DE PRAETERITIS VERBORVM IN OR.

VErba in or admittunt ex poſteriore ſupino
Præteritū, uerſo u per us, & ſum cōſociato
Vel fui, ut à lectu lectus ſum uel fui: At horū
Nunc eſt deponens, nunc eſt cōmune notandum.
Nam labor lapſus, patior dat paſſus, & eius
Nata, ut compatior compaſſus, perpetiorq;
Formans perpeſſus, fateor quod faſſus, & inde,
Nata, ut confiteor confeſſus, diffiteorq;
Formans diffeſſus, gradior dat greſſus, & inde
Nata, ut digredior digreſſus, iunge fatilcor.
Feſſus ſum, menſus ſum metior, utor, & uſus.
Pro texo orditus, pro incepto dat, ordior orſus.
Nitor niſus uel nixus ſum, ulciſcor & ultus.
Iraſcor ſimul iratus, reor atq; ratus ſum.
Obliuiſcor uult obſitus ſum, fruor optat
Fructus uel fruitus ſum, miſereri iunge miſertus.
Vult tuor, & tuor non tutus, ſed tuitus ſum.
Quamuis, & tutum, tuitum ſit utriq; ſupinum.
A loquor adde locutus, & à ſequor adde ſecutus.
Experior facit expertus, formare paciſcor
Gaudet pactus ſum, nanciſcor nactus, apiſcor,
Quod uetus eſt uerbum, aptus ſum, unde adipiſcor adeptus.

Iunge queror questus, proficiscor iunge profectus
Expergiscor sum experrectus, & hæc quoq; cõm
Niscor cõmentus, nascor natus, moriorque
Mortuus, atq; orior quod præteritũ facit ortus.

DE VERBIS GEMINVM PRAETE RITVM FORMANTIBVS

PRæteritũ actiuæ, & passiuæ uocis habent hæ
Cæno cænaui & cænatus sum tibi format.
Iuro iuraui, & iuratus, potoque potaui
Et potus, titubo titubaui uel titubatus
Sic careo carui, & cassus sum, prandeo prandi
Et pransus, pateo patui, & pussus, placeoque
Dat placui, & placitus, suesco sueui atque suetus
Veneo pro uendor, ueniui uenditus & sum.
Nubo nupsi nuptaque sum, merior meritus sum
Vel merui. Adde libet libuit libitũ, & licet adde
Quod licuit licitum, tædet quod tæduit, & dat
Pertesum. Adde pudet faciens puduit puditumque
Atque piget tibi quod format piguit pigitũque.

DE NEVTRORVM PASSIVORVM PRETERITIS.

NEutro passiuum sic præteritũ tibi format.
Gaudeo gauisus sum, fido fisus, & audeo,
Ausus sum, fio factus sum, soleo solitus sum.

DE VERBIS PRAETERITVM MVTANTIBVS.

QVedam præteritum uerba accipiunt aliũde
Incœptiuũ i sco stãs pro primario adoptat

Præteritū eiuſdem uerbi, uult ergo tepeſco,
A tepeo tepui, feruesco a ferueo ferui.
A uideo cerno uult uidi, a concutio uult
Præteritum quatio concuſſi, a percutioq;
Percuſſi ferio, mingo uult meio minxi.
A ſedeo ſido uult ſedi, a ſuffero tollo,
Suſtuli, & a ſuo ſum fui, & a tulo rite fero tuli,
A ſto ſiſto ſteti, tantum pro ſtare, furoq;
Inſaniui a uerbo eiuſdem ſignificati.
Sic poſcū uelcor, medior, liquor, & reminiſcor.
Præteritū a paſcor, medicor, liqueſio, recordor.

DE VERBIS PRAETERITO CARENTIBVS.

PRæteritum fugiunt, uergo, ambigo, gliſco, ſatiſcor
Palleo, uideo. Ad hæc incœptiua, ut pueraſco
Et paſſiua, quibus caruere actiua ſupinis.
Et metuor, timeor. Meditatiua oia, præter
Parturio, eſurio, quæ præteritum duo ſeruant.

DE VERBIS RARO SVPINVM HABENTIBVS.

HÆc raro, aut nunq̄ retinebunt uerba ſupinum
Lamo, mico micui, rudo, ſcabo, parco peperci,
Diſpeſco, poſco, diſco, compeſco, quiniſco.
Dego, augo, fugo, lingo, mingo, ſatagoq;.
Pſallo, uolo, nolo, malo, tremo, ſtrideo, ſtrido.
Flaueo, liueo, auet, paueo, conniueo ſeruet.

A nuo cõpoſitũ, ut renuo, a cado, ut incido præte
Occido quod facit occaſum, recidoq; recaſum
Reſpuo linquo, luo, metuo, cluo, frigeo, caluo,
Et ſterto, timeo, ſic luceo, & arceo, cuius.
Cõpoſita ercitũ habent, ſic a gruo, ut ingruo uat
Et quæcũq; in ui formantur neutra ſecundæ,
Exceptis oleo, doleo, placeo, taceoq;.
Pareo, item careo, noceo, lateoq;,
Et ualeo, caleo, gaudent hæc nãq; ſupino.

FINIS.

NOMINVM AC VERBORVM INTERPRAETATIO.

A

APollo, deus quem Græci ſolem appellant.
Auſter, uentus flans a meridie.
Anna, nomen mulieris.
Agragas, urbs Siciliæ.
Argos, oppidi nomen.
Anxur, nomen urbis Italiæ, quæ nunc Terrentina dicitur.
Alnus, genus arboris. Acer, arbor.
Aſſecla, qui cõtinue & ſemper aliquem ſequitur.
Athletes, pugil & luctator.
Aqualis, genus uaſis ad aquam tenendam.
Axis, diametron mũdi, & dicitur lignum ſeres, circa quod rota currus uertitur.

Amnis, fluuius.
Aluus, inferior uenter qua sordes effluunt.
Acus intrumentum sartoris uel frumenti purgamentum, ac mulieris ornamentum.
Antidotus, medicamentum contra uenena datũ.
Abyssus, immensa quædam profunditas impenetrabilis.
Arctus, ursa quam nostri Septentrionem dixerant, signum cœleste.
Alcyon, auis maritima hyeme pullos educans.
Anguis, serpens in aquis degens.
Atomus, corpus insecabile.
Agricola, qui exercet rem rusticam.
Aduena, qui non est ciuis, sed externus.
Auriga, qui uel quæ currum ducit.
Affinis, cognatus.
As, est libra, id est duodecim unciæ.
Arcanan, gens ex ea regione Aegipti.
Athomas, nomen uiri.
Autor, qui uel quæ aliquod opus facit.
Adolescens, iuuenis adultus.
Arbor, notæ significationis.
Amazones, Scythicæ fœminæ, eo quod mammis careant.
Appendix, quod alii adiunctum quasi ex alio pendeat.
Ador, frumenti genus, uel farris.
Adeps, ois pinguedo, siue carnis, siue alterius rei.
Anas, auis in aquis degens.
Augur, qui futura prænuntiat.

Archas ex Archadia populus
Antiſtes, in aliqua re ſummus.
Ales, quælibet auis aut uelox.
Auceps, qui uel quæ aues capit.
Aruſpex, qui uictimas inſpicit.

B Bacchus, deus uini.
Britãnia, regio quam nunc Angliam uocamus.
Byſſus genus lini ſubtiliſſimi.
Barbiton, inſtrumentum muſicum quod pulſatur plectro uel calamo.
Bes, unciæ octo.
Bidens, inſtrumentum tot dentium, uel ouis.
Bombix, uerbis, & pro materia ſumitur.
Bubo, auis nomen, a bouis mugitu.
Bifrons, habens duas frontes.
Bos, nota eſt ſignificatio.
Bacchar, herba radicis adoratæ.

C Cato, nomen uiri.
Creta, inſula eſt.
Cyprus inſula diues.
Cupreſſus, arboris nomen.
Cedrus, arbor ingens & procera.
Cetus, piſcis maximus.
Caro, quod anima careat, non ſolum de animalibus, ſed etiam de piſcibus.
Capra, animal a carpendis uirgultis dictum.
Centuſſis, centum librarum.
Callis uia perdurata, id eſt in uia trita.
Caulis, in herbis dicitur ipſum robur, ſiue ſtipes.
Collis, monticulus. Crinis, capillus.

Caſſis, reticulum, & pro galea fœminini eſt.
Colus, inſtrumentum quod penſa continet.
Coſtus, radix magni odoris.
Criſtallus glacies ex gelu uehementer concreta.
Cacoethes, malus mos.
Canalis per qđ aqua confluit in uiis lapide ſtratis
Clunis, natium tumor.
Corbis, uas ex uiminibus factum.
Cinis, puluis.
Canis, animal latratile, piſcis marinus, ſignum
Car, aliquis ex Caria. cœleſte.
Cres, Cretenſis.
Curculio, animal parum frumẽtum corrodens.
Crater, uas amplum, cui uinũ aut oleũ imponimus
Conditor, qui aliquid facit.
Cures, opidi nomen. Cor, fons, & radix uitæ.
Crus, pars a genibus uſq; ad inferiorem pedem.
Capital, quod olim ſacerdotulæ geſtabãt in capite
Calx, pes imus, & pro cuiuſuis rei fine ponitur, uel pro materia qua lapides in muro conglutinantur.
Cuſtos, qui uel quæ rem aliquam tenetur, & curat.
Compago, compactio, & coniunctio.
Compedes, uinculi genus.
Culpis, acutior pars haſtæ.
Carex, herba acuta duriſsima.
Coxendix, coxarum uertex, quo fœmora uertuntur.
Cadauer, corpus mortuum.
Cicer, genus leguminis.
Cardo, quo ianua mouetur.

Culex, uermiculus alatus
Comes, comitans aut ſequens
Coniunx, maritus, uel uxor.
D Domus, ædificium ad habitandum factum.
Dipthongus, unicus duarum uocalium ſonus
Dama, animal timidum.
Dens notum eſt, per ſimilitudinem capitur pro omni quo aliquid tere poteſt.
Delphin, piſcis maris, & ſignum cœleſte.
Dodrans, unciæ nouem.
Dies, tempus duodecim horarum.
Dulcedo, ſuauitas.
Dux, qui uel quæ ducit aliquem.
E Elis. ciuitas Arcadiæ.
Enſis, gladius.
Eremus. locus deſertus.
Extorris, exul.
Elephas animal maximum.
Aes, quoddam metallum capitur pro pecunia.
Exlex, ſine lege uiuens.
Aequor, mare.
Exul qui uel quæ exulat.
Eques, homo equo inſidens.
F Follis, inſtrumentum quo attrahitur atq; emittitur uentus.
Fuſtis, baculus.
Funis, reſtis,
Faſſis, lignorum aut alterius rei congeries.
Ficus, arbor, uel morbus.
Finis, extremitas, ſiue terminus in unaquaq; re.

los, dictus qui ex arbotibus uel herbis colligitur
ons, scatebra.
l, purgamentum sanguinis.
r, farina, & de omnibus frugibus dicitur.
r, qui uel quæ aliquid alteri subtrahit.
des, constantia in omnibus rebus.
ortex, instrumentum sartorium, quo aliquid scin-
urfur, purgamentum farinæ. ditur.
orceps, instrumentum quo tenetur aliquid.
Grecia, regio. G
Grossus, ficus abortiua quæ non matureſcit.
Graiugena, græci dicti sunt.
Glis, animal muri simile.
Grips, animal pennatũ omni ex parte leoni simile.
Grix, pecudum multitudo.
Gurgulio, pars gutturis a naribus ad pulmonem,
Gigas, uir altissime staturæ. uel animal.
Garamas, Libiæ incola. Grus, auis nota.
Grando, gutta aquæ in aêre congelata.
Gongon, nomen mulieris.
Gingiber, herba in Arabia nascens.
Humus, terra humefacta. H
Hippomanes, uirus ab Equa collectum, uel carucu
la, in frõte pulli equini, hoiem ad insaniã redigens.
Hostis, inimicus, uel peregrinus.
Heros, uir diuinus, & semedeus.
Hydrops, aqua intercus.
Halec, piscis qui solo aqua nutritur.
Hæres, qui succedit in hæreditatem alterius.
Hymps, bruma. Histrix, aial ex erinaceorũ genere

Huber, fertilis, abundans, & mamma pecoris, &
Homo, notæ est significationis hominis.
Hirundo, auis notissima.
Hospes, qui uel quæ ad hospitium recipit, aut recipitur, & capitur pro peregrino.

I Iuno, dea Iouis uxor.
Ignis, unum ex quatuor elementis.
Idus, dies qui diuidant mensem.
Iuuenis qui adolescentium, excessit ætatem.
Ius, quod natura, aut ciuitas, aut gens iubet, & liquor eorum, quæ coquuntur.
Infans homo per ætatem nondum sciens fari.
Illex, qui sine lege uiuit.
Icon, imago.
Iaspis, lapis precios⁹.
Iubar, sol, uel ipsius splendor.
Iecur, hepar.
Iter, itio, actus eundi.
Imber, agmen aquarū largius ex nubibus effusum.
Interpres, qui authores declarat, aut aliquid ex lingua in linguam transfert.
Iudex, qui uel quæ iudicat.

L Libs, uentus aphricus.
Lixa, coquus in exercitu, uel qui sequūtur gratia.
Lanista, qui domi gladiatores docet, & populo quæstus
Lien, splen. uendit.
Logos, sermo, ratio, uerbum.
Linter, nauicula ê cauata arbore facta.
Lecythus, ampulla olearia.
Lichen, grauissimum morbi genus.

Leo, animal ferox.
Lac succus maternus, quo animalia nutriuntur.
Laquear pars superior cubiculi parum cõuexa.
Linx, animal maculosum acutissime uidens.
Limax, testudo & coclea terrestris.
Lampas, ignis, aut solis splendor.
Lassar, herba quædam, & succus ex culmo laser-
Ligur, incola Liguriæ. pitii exul.
Mars, deus belli.
Mater, nota est significatio.
Mensis, tempus tot dierum.
Manus, membrum notum.
Mare, pelagus.
Mos, uitæ institutum consuetudine firmatum.
Mus exiguum animal.
Mons, terræ tumor altissimus.
Magnes, lapis ferrum attrahens.
Meridies, dies medius.
Mulier, quæ non est uirgo.
Mel liquamen dulce.
Marmor, lapis genus.
Mergo, auis in aqua cibũ capiens & in ea assidue
Martyr, testis. immergens
Miles, qui pedes militat.
Notus, uentus meridionalis.
Natalis, diés alicui natalis.
Nurus, filii uxor.
Nubes, uapor humidus sublime egressus.
Nefrens, porculus per ætatem fabam frangere
nondum potens.

Lebes, uas æneum.
Mas, uir.
M
N

Nicticorax, coruus nocturnus.
Natrix, serpens aquaticus.
Nemo, nullus homo.

O

Orontes, nomen uiri, & fluuii.
October, mensis sic dictus.
Opus opuntis, nomen ciuitatis in locris.
Oliaster, olea siluestris.
Ostrea, conchæ species.
Orbis, circulus mundi, res rotunda.
Ouum, notum est, & est tantum auium.
Oriens, regio orientalis.
Os oris, concauum illud intra quod sunt dentes, & lingua.
Os ossis, solidamentum corporis durum.
Omen, augurium quod fit ore.
Onus, pondus alicui iniunctum.
Occiput, posterior pars capitis.
Opex, obiectum aliquod, uel obstaculum, ut pessulum, sera.
Onix, unguis, & gemma.
Obses, qui uel quæ traditur in fidem alteri.
Opifex, qui opus facit.

P

Philotis, nomen mulieris.
Persis, orientalis regio.
Preneste nomen urbis.
Passer, auis salacissima.
Papa, summus sacerdos.
Panis, quo pascimur.
Penis, canda.
Pistis, fides.

Postis, latus portæ, siue ianuæ.
Porticus, ambula domus propter repentinos imbres deambulationis gratia ædificata.
Papyrus, charta qua utimur in literis scribendis
Pelagus, mare.
Penus, omne esculentum potulentum quo homines uescuntur.
Pampinus uitis ramus.
Phaselus, nauicula uelox, & oblonga.
Pharus, turris altissima in portu q̄ lucet nauigantibus.
Paradisus, locus ameniſſimus.
Patrueles, patruorum filii.
Perduellis, qui commisit crimen lese maiestatis, hostis.
Pietas, pius cultus.
Pes, ima pars corporis qua gradimur.
Pres, sponsor qui se obligat, id est fideiussor in lite nummaria.
Pons, asser uel quoduis aliud per quod super aquas transimus.
Phrix, uir Phrigiæ. Phœnix, auis unica.
Pus, sanies, & quicūq; humor in putredinē uersus.
Python, serpens ê putredine natus.
Perdix, auis nota.
Parens, pater aut mater, auus, aut auia.
Pecus, cudis, oris, omne animal quod sub hominis imperiis pabulo terræ pascitur.
Pellex, mulier impudica. habens.
Problema, propositio interrogationem annexam

Pecten, instrumentum texorum, & dentatum.
Piper, herba.
Papauer, genus herbæ soporeferum.
Puluis, notum est.
Pumex, lapis cauernosus.
Pugil, qui uel quæ pugnandi artem nouit.
Præsul, qui uel quæ præest.
Preses, qui uel quæ præsidet
Princeps, qui uel quæ principatum obtinet.

R

Robur, species, quarcus durissime.
Rabula, homo futilis.
Rete, instrumentum, quo pisces capiuntur.
Restis, funis uel lorum
Res, humor qui sereno tempore ê cœlo fluit.
Rex, nota est significatio.
Rus, locus extra urbem, ubi agri sunt, & uillæ.
Rudens, funis nauticus.
Ramex, ruptura, & distentio intestinorum
Ren, viscus quoddam

S

Sulmo, appidum in Brutiis.
Spinus, pruni species.
Siler, frutex potius quam arbor
Suber, genus ligni quod nautis vtile est vt supernatent retia.
Scriba, qui literas vel gesta, vel tabellas, & similia scribit alterius nomine.
Satrapas, princeps.
Sentis, spina.
Socrus, vxoris vel mariti mater.
Synodus, conuentus.

Saphyrus, precioſus lapis.
Specus, ſpelunca unde ſpectare licet.
Senex, ſenio confectus.
Sodalis, eiuſdem ſortis ſocius.
Sal, quo utimur in cibis condiendis.
Sol, qui Phebus dicitur.
Splen, lyen, uiſcus quoddam.
Ser, populus Aſiæ.
Seps, ſerpens paruus.
Senio, quod ſex puncta continet.
Sermo, loquela.
Semis id eſt ſemias ſex unciæ, dimidiũ aſſis.
Samnis, nomen gentis.
Siren, monſtrum maris.
Soror, notum eſt.
Scrobs, foſſa aut puteus.
Serpens, anguis.
Stirps, truncus uel progenies.
Sus, animal ſordidum.
Sacerdos, deo dicatus dicatiue ad ſacrificia faciẽda
Sanguis, cruor qui ex uulnere ſpargitur.
Seges, frumentum in ſpicis.
Syndon, uelum ſubtiliſſimum
Supellex, res domeſtica.
Siſer, legumen.
Silex, lapis duriſſimus unde ignis excutitur.
Siler, arbor quam uulgo ſalicem uocant.
Sacer, quod uenerabile.

Tibris, fluuius Italie.
Tibur, oppidum Italiæ.

Thus, incenſum libamen quo deum ueneremur. aliquando ipſa arbor.
Tigris, animal uelociſſimum, & truculentum.
Torris, lignum ardens uel aduſtum.
Tribus, progenies.
Talpa, animal captum oculis, muri ſimile.
Torquis, circulus aureus, colliq; ornamentum.
Teſtis, qui uel quæ teſtimonium profert.
Tros, nomen uiri.
Thrax, uir Thraciæ.
Terneo, numerus ternareus.
Torrens, fluuius per pluuiam collectus.
Tapes, id eſt panni depicti tegimen mire pictum uariis coloribus.
Thorax, pectus, & pectoris munimentum.
Teges, uile ſtragulum, matta ſirpea.
Tuber, dictum a tumendo, & priore longa terræ callus.

V

Virgilius, poeta.
Venus, dea amoris, & uenuſtatis.
Vulpes, animal aſtutum.
Verres, porcus non caſtratus.
Vnguis, duricies digitorum. tam in auibus cæteriſq; beſtiis, quam in homine.
Vermis, a uertendo quia ſeſe torquendo repit.
Vectis, inſtrumentum quo clauditur oſtium.
Venter, qui a pectore ad pubem terminatur.
Virus, uenenum & grauis odor.
Vulgus, multitudo ignobilis.
Verna, ex ancilla dominatus ſeruus.

Vates, poëta, & qui futura prædicit.
Virtus, ars recte beneq; uiuendi.
Ver, anni pars temperatior.
Vas uadis, uadimonium.
Vexuex, mas inter oues cui adēpti ſunt teſticuli.
Vxor, uiri coniunx.
Vir, notum eſt.
Vas uaſis, inſtrumentum ad aliquid capiendum idoneum.
Virgo, quæ non eſt paſſa uirum.
Verber, inſtrumentum longum uerberandi.
Vigil, qui uel quæ uigilat.
Vindex, qui uel quæ uindicat

SEQVITVR VERBORVM INTERPRETATIO.

Ardeo, uror, inflammor. A
Augeo, magis fio.
Ago, facio.
Accerſo, eo ad uocandum uel uoco.
Arceſſo, uoco, & accuſo.
Amicio, ueſtio.
Apiſcor, aſſequor, acquiro.
Adipiſcor, aſſequutus ſum.
Aueo, cupio.
Arceo, pello, & aduenire non ſino.
Applico, adiungo, & aduenio.
Abdo, abſcondo.
Abſcondo, occulto.
Aperio, indico, refero.
Alo, nutrio.

Audeo, ſum auſus.
Ambigo, circumago, circundo.
Ango, crucio, premo, uexo.
Annuo, aſſentior.
C Crepo, uiolentum ſonum facio.
Cubo, iacio proprie ut ægroti.
Conniueo, claudo oculos.
Cieo, uico prouoco,
Cumbo, iaceo.
Cædo, cæcidi percutio.
Cedo, ceſſi locum do.
Claudo, includo.
Colo, adoro, ueneror.
Celo, ſine dipthongo idem quod cedo ceſſi id e
abeo, cum dipthongo cædo cecidi percutio
Como, orno, & maxime capillos.
Cerno, uideo.
Cano, uoce modulor.
Coquo, eſui aliquid apto.
Curro, celeri gradu progredior.
Capeſſo, capeo uel ad capiendum eo.
Cupio deſidero.
Cambio, muto pecuniam.
Comminiſcor, excogito.
Complico, ſimul plico.
Credo, committo.
Condo, eſt in locum interiorem ad cuſtodiã dar
Carpo, tollo.
Comperio, ab alio cognoſco
Cõpeſco, coerceo cohibeo.

Cado, ruo. Consino, simul tano
Circumpango, circunfigo, circumplan
to, circumiungo.
Calco, comprimo, pessundo,.
Capio, apprehendo, accipio.
Confiteor, affirmo ac totum fateor.
Compatior, miserior.
Cœno, cœnam sumo.
Concutio, moueo, quatio.
Cluo, pugno. splendeo.
Caluo, decipior, frustror.
Caleo, calidus sum.
Cogo, impello.
Cœpio, incipio.
Caueo, prouideo.
Consulo, consilium peto.
Colo, oro, adoro, uenero.
Censeo, iudico uel existimo.
Careo, priuor, non habeo.
Domo, mansuetum facio.
Do, dono.
Deleo, expungo, proprie literas aut re
Dico, loquor, nomino. gulas.
Duco, notum est.
Diuido, partior.
Demo, aufero.
Disco, capio doctrinam.
Digredior, discedo.
Doleo, tristis sum.
Dedo, in perpetuū do, uel totū subdo

Dampno, dampno afficio uel con-
Diſpeſco, ſeparo, dirimo. demno
Depango, defigo.
Diluo, aqua uel quouis humore aliquid
Dego, ago. purgo
Diligo, amo
Diffiteor, inficias eo, nego.

E Excurro, extra curro.

Explico. extendo & declaro.
Experior, tento uel tentor.
Eſurio, famem patior.
Edo comedo.
Egeo, careo.
Eripio, extra rapio.
Emineo, præ aliis appareo, uel excello
Excuſo, extra culpam reddo,
Excludo, extra claudo.
Excutio, eiicio, emitto.
Emo, comparo, mercor.
Exuo, exoluo, denudo.
Expergiſcor, euigilo.

F Frico, ſcalpo.

Frigeo, frigidus ſum,
Fleo, lachrimor.
Feruco, ualde caleo.
Findo, diſſeco, diffundo.
Fundo, liquefacio, uel liquidum ſpargo
Frango, rumpo, deſtruo.
Fallo, decipio.
Faceſſo, facio, uel eo ad faciendum.

Facio, aliquid ago.
Flecto, inclino, uoluo, duco, moueo.
Fodio, terram eruo.
Fugio, uito, currendo relinquo.
Fluo, decurro proprie ut liquores.
Farcio, saturo, impleo, pinguefacio.
Fulcio, sustineo, munio.
Flo, spiro.
Faueo, recte alicui opto.
Fingo, formo.
Fateor, annuo, concedo.
Fatiscor, fessus sum.
Fruor, utor ad delectationem.
Fido, fiduciam, & spem habeo.
Flaueo, flauus sum.
Fio, efficior.
Feruesco, calesco
Ferio, percutio.
Furio, insanio.
Fatisco, deficio aut defatigor.

Gigno genero
Gero, porto.
Gradior, eo gradus, uel per quod itur.
Gaudeo, lætor.
Gruo, ut grues gruere dicuntur.

Hæreo, arcte alicui rei infigor.
Haurio, humorem excipeo, extraho.
Habeo, possideo, teneo.

Iuuo, auxilium do.
Iubeo, impero.

Iungo, cumulo, & quasi in unũ ago.
Incesso, accuso, impero.
Iaceo, decumbo.
Indulgeo, obsequor.
Irascor, ira stimulor.
Ingruo, inuado, impetum facio.
Indo, impono.
Incido, fereo, seco.
Immineo, insto.
Inculco, eadem sepius iterãdo ingero.
Inficio, intingo, uicio ceu maculo.
Intelligo, capio.
Iuro, iuramentum facio.

L Lauo, aqua purgo.
Luceo, lucem emitto.
Lugeo, doleo, tristor.
Leo, imprimo, formo.
Lambo, lingua lingo.
Ledo, malum infero, dolore afficio.
Ludo, ludum exerceo, iocor.
Lego, notum est.
Lino, aliquid alicui rei superinduco.
Linquo, committo, peeco.
Lucesso, uexo, incito, prouoco.
Lacio, in fraudem duco.
Labor, cado.
Libet, placet.
Licet, fas est.
Liquor, liqueo.
Liquefio, liquesco.

Lingo, lambo, id est aliquid lingua mol liter tango.
Liueo, liuidus sum, id est sordidus.
Luo, soluo, penas do.
Lateo abscondo, non compareo.
Lacto, per blanditias decipio.
Mico, fulgeo cũ metu uel tremore
Mulceo, lenio.
Mordeo, dentibus lædo.
Mulgeo, lac ê mammis exprimo.
Maneo, sisto, & expecto.
Mando, comedo uel committo.
Meto, seco, amputo herbã uel segetẽ
Mitto, ad aliquem do.
Mereor, aliquid facio quamobrem dignus sum obtinere.
Medeor, do medelam.
Malo, magis uelim.
Multiplico, adaugeo.
Mingo. urinam facio.
Metior, pondero, mensuro, considero.
Misereor, misericordia afficior.
Moreor, ê uita discedo.
Meio, mingo.
Medicor, medeor, remedium adfero.
Metuor, timeor. Metuo, timeo,

No, nato.
Nexo, ligo uel necto.
Neco, quacunq; re te occido.
Nigreo, niger fio.

Niueo, eſt oculorum, & aliorum membrorum nitu aliquid conari.
Nubo, uiro trador.
Necto, ligo, coniungo.
Negligo, contemno, non curo.
Neco, occido.
Noſco, rem certam habeo.
Nitor, conor, ago ſedulo.
Nanciſcor, acquiro.
Naſcor, orior, in mũdũ uenio.
Nolo, renuo, non uolo.
Nideo, ſplendeo.
Noceo, malum infero.

O

Obdo, oppono, ſiue appono.
Operio, tego.
Oppango, circumfigo, circumplanto.
Occludo, claudo.
Ordior, incipio.
Obliuiſcor, ẽ memoria aliquid excidere ſino.
Orior, naſcor, ſurgo, incipio.

P

Plico, contraho, & rugas facio.
Prandeo, prandium ſumo, uel ante prandium cibum ſumo.
Pendeo, ſuſpenſus ſum.
Pleo, plenum facio.
Pendo, ſuſpendo, uel pondero æſtimo.
Plaudo, manibus percutio, ac geſtu lætitiam indico.
Pſallo, cano inſtrumento muſico.
Pello, eiicio, remoueo.

promo, profero, eloquor.
premo, calco, ac innitor alicui rei cum pondere.
pono, colloco, constituo.
pinso, tundo, panem cõficio.
pasco, nutrio.
posco, peto.
pecto, orno capillos.
peto, oro, obsecro, uolo.
pareo, obedio.
pluo, aquam dimitto.
proficiscor, eo alio.
præcurro, antecurro, siue cito ante eo.
perdo, amitto.
prodo, manifesto.
patro, aliquid mali committo
pango, paciscor, cano iungo, plango, figo.
præmineo, præcello.
promineo, procul appareo.
percutio, ferio.
proluo, multum siue multo tempore lauo.
perago, perficio.
pergo, in re procedo, abeo.
perlego, totum lego.
pando, aperio, patefacio.
pedo, uentris crepitum facio.
pungo, stimulo, morsum ac aculeum infigo.
pario, prolem produco.
poto, bibo.
plecto, explico, & pango capillum.
pateo, apertus sum.

Pango, formam alicuius rei ductis lineis repræsento.
Patior, sustineo, tolero.
Perpetior, multum cũ labore ac dolore patior.
Placeo, gratus sum
Pudet, pudore afficior.
Piget, dolet, seu molestũ est.
Pascor, pauceor, alo.
Palleo, parum albeo.
Pueraſco, exacta infãtia peritiã inchoo.
Parturio, cupio aut conor parere.
Parco, abstineo ab ultione.
Paueo, timeo.

Q

Quiniſco, caput inclino, moueo.
Quatio, moueo, concutio.
Queror, lamentor.
Quæro, inuestigo, interrogo.

R

Rideo, cachingo.
Rado, cultro uel quauis re acuta decerpo.
Rodo, mordeo, comedo.
Rumpo, frango.
Rapio, per uim traho, aufero
Reſcco, percipio.
Refringo iterum frango.
Repungo, iterum stimulo, uicem reddo
Repligo, dissoluo.
Reddo, acceptum uel ablatum restituo,
Reperio, inuenio.
Repango, dissoluo, reiungo.
Resulto, resilio, reuertor, in contrarium salio.

Rego, guberno.
Relego, rursus lego.
Ruo, cado.
Rapio, uiolenter aufero.
Ringo, os torqueo ut canes.
Reor, arbitror, puto.
Reminiscor, recordor, memini.
Recordor, rursus in mentem reuoco.
Rudo, grauiter sono ut asinus.
Renuo, refuto reiicio.
Recido, retro siue iterũ in cadẽ cado.
Respuo, repudio, sperno.
Seco, scindo, diuido, findo.
Sono, sonum facio.
Sto, erectus sum, id est maneo.
Sorbeo, deglutio quicq̃ molle.
Strideo, facio stridorem sonũ uiolentũ
Spondeo, promitto.
Suadeo, ad id aliquem quod intendo.
Scribo, literas formo.
Sindo, findo frango.
Spergo, late proiicio, ac passim iacto.
Sallo, sale condeo ac conspergo.
Sumo, multum, & prorsus nimium mihi
Sino, permitto. (tribuo.
sterno, proiicio in terram.
sperno, despicio, contemno.
scalpo, sculpo & fodio unguibus ac
(manibus.
strepo, sonum facio.

Sero, ſemino, planto.
Soluo, quod ligatum erat diſſoluo, ac enodo.
Singultio, grauiter tuſſio, & ſingultum emitto.
Sepelio, defunctum terra condo.
Seco, diuido Salio, ſalto.
Stringo, premo, arcto.
Sequor, abeuntem ſubſequor.
Sueſco, ſoleo.
Soleo, ſuetus ſum.
Sedeo, quieſco.
Sido, deſcendo ad ſedendum.
Scabo, frico.
Sugeo, ſpiritu attraho ſuccum.
Satago, ſatis ago, laboro, ſolitus ſum.
Sterno, dormio, & ſomnum altum dormiendo facio.
Scindo, ſeco, findo.
Siſto, ſtare facio.
Supplico, humiliter & cum reuerentia præcor.
Sacro, deo dedico, ſacrum facio.
Scando, in altum tendo.
Specio, uideo.
Selego, ſeorſum colligo.
Secerno, ſtatuo, pono, ordino.
Sublego, furto aliquid ſurripio, ſubſtituo.
Sapio, ſaporem habeo. Salto, tripudio.
Sepio, obſtruo, circundo munio.
Sarcio, purgo, reficio, integrum facio.
Sancio. firmo, & proprie effuſo ſanguine per hoſtiæ immolationem.

Sentio, aliquo ſenſu percipio, pro intelligo ponitur.
Tono, ualde ſono, ac facio tonitrum.
Tondeo, crines, uel lanam ſeco forcipe
Torpeo, inflecto.
Tondo, percutio, pulſo.
Trudo, manibus pedibusue impello.
Tango, percutio.
Traho, ui ad me rapio ac duco.
Temno, ſperno.
Tero, comminuo, conſumo, tundo.
Trado, in poteſtatē alterius transfero.
Timeor, metuor.
Tracto, traho uel ſurſum traho.
Teneo, apprehendo.
Taceo, ſileo, non loquor.
Translego, legēdo tranſcurro ac plego.
Tendo, expando.
Torreo, uro, aſſo.
Texo, telam ſtruo ac paro.
Tueor, defendor.
Tuor, uideor.
Titubo, lingua uel pedibus uacillo.
Tepeſco, languidus aut piger ſum.
Tollo, eleuo, ſubleuo.
Timeo, metuo.
Tremo, commoueor, agitor.
Tædet, perteſum eſt, diſplicet.

T

Verto, muto, uoluo.
Veſcor, utor cibo, & paſcor.

V

Voluo, uerto.
Viuo, uitam ago.
Venio, ad aliquem accedo.
Vinco, ſupero.
Vro, ardore aut frigore, nonnũq̃ alia ui lædo.
Vlciſcor, uindico.
Vocito, frequenter uoco.
Veto, prohibeo.
Vrgeo, premo, compello,
Vincio, ligo.
Vado, eo.
Veho, naui plauſtro, quadrupede.
Vello, traho, extyrpo.
Vomo, per os eiicio.
Verro, purgo, traho.
Viſo, eo ad uidendum.
Vendo, uenundo, alieno.
Valeo, poſſum, ualidus ac ſanus ſum.
Verto, muto, uoluo.
Veneo, uendor.
Vtor, uſum rei habeo.
Video, oculis intueor.
Vergo, tendo, declino.

FINIS.

Ad uerum Paulinæ Scholæ exemplar.

☞ EXCVSVM Londini in Cimiterio diui pauli, per me Henricum Pepuuel, Anno a partu uirgineo. M.D.XXXIX.

Opus recognitum & auctũ cũ Nominũ ac verborum Interpretamentis p to. Ritiſſum Scholæ Paulinæ præceptorem. in Edit. Antuerp. 1573

Mens cujusque is est
uisqu